



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 126. Conjuratorum præcipui capti, ac puniti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV.
A. C. 1494.

§. CXXVI.

*Conjuratorum præcipui capti ac
puniti.*

*Bacon hist.
regni Henr.
VII.*

Eodem quoque tempore Henricus conjuratorum Antesignanos per varia regi sui loca dispersos comprehendi jubet, quos inter præcipui erant Thuvaitus, Joannes Ratecliffus, Simon Montfortius & Fitzwartherus Equites: Ex Nobilibus vero, qui conjurationi assenserant, Guilielmus Albeneyus, Robertus Ratecliffus, Thomas Cressenorus, & Thomas Astwodus, necnon Guilielmus Worsleyus S. Pauli Londini Decanus numerabantur præter plures alios viros Ecclesiasticos, Monachos, ac Laicos. Horum quidam capite truncati, alii longo carceris squalore absumpti, minus vero seditionis participes vitæ venia donati. Cliffordius Eques Ducissæ arcanorum arbiter, ad Henrici studia pellectus, in Angliam reversus est, ac supplex ad Regis pedes provolutus, delicti gratiam impetrabat: Potissimum vero Burgundiæ Ducissæ consilia evertit supplicium supremi Cubiculariorum Præfecti, qui se quoque conjurationis complicem fuisse confessus est; Illa tamen haud sua spe dejecta, in novis artibus opem quærit, quare Perkino classem, & copias suppeditat, illum.

illumque in Angliam denuo vela facere jubet, qui Sandovici appulsus, in terram exposuit milites quingentos, aut ferme sexcentos, cum autem potissima eorum pars ab Henrici exercitu trucidata, ceteri vero capti essent, Perkinus omnibus remis, & velis auffugere, ac in Flandriam reverti compellebatur.

Sæcul. XV.
A.C. 1494.

§. CXXVII.

Hussitarum motus in Bohemia.

Cum Wladislaus, quamvis Bohemiarum Rex salutatus esset, a multis annis in Hungaria hæreret, Hussitæ ejus absentiam in rem suam vertentes, importunius, ac pertinacius sectatoribus suis Episcopum præfici postulabant; ast repulsam passi, tandem solitis motibus, ac clamoribus civitatem commoventes, rem eo perduxerunt, ut de secta sua Antistitem obtinerent quemdam Augustinum nomine, ex numero eorum, qui *Dubrav. lib. 31. versus finem Spond. hoc ann. n. II.* *Bonfin. dec. 5. l. 4.* *titulares* vocantur, eo quod titulum sine dioecesi præferret. Verum haud diuturna fuere hujus felicitatis auspicia; Hussitarum enim causam, agendique rationem, cum Wladislaus Rex Alexandro Papæ significasset, illi in obsequium Ecclesiæ redibant; saltem res omnibus comperta fuit, eos coram Rege professos esse, se ad officium, ritusque Romanæ

Rr 4

Eccle-